

† R. P. Theodorus Brinkmann (1892-1950)

(Prov. Bonaë.)



In industriali regione Westfaliae, ubi multae fodinae carbonum et innumerae fabricae sunt (vel fuerunt), iuxta alias populosas civitates, ut Gelsenkirchen, invenitur etiam Buer. Ibi fossori catholico Brinkmann Deus dedit quinque filios totidemque filias, et ex maribus tres ad sacerdotium in nostra Congregatione vocavit, ex feminis autem duas ad statum religiosum in Instituto Pauperum Ancillarum Christi. Praesertim Soror Achilla operositate sua phaenomenali celebritatem quandam consecuta est, sicut apud nos P. Bernardus, fundator collegii Heiligenstadt, qui in longinqua urbe

Oslo 5 Aug. 1937 subitanea morte concidit, postquam praecedenti vespere Sororibus S. Ioseph inter spiritualia exercitia haec tria meditanda proposuit: « Caelum est pulchrum. Caelum est vicinum. Caelum est meum ». P. Gulielmus multa passus est sub nazismo et hodie, viribus fractus, in Rheine degit.

Natu minimus Theodorus, natus 12 XI 1892, novitius erat C. SS. R., cum prius bellum magnum exarsit a. 1914. Superiores, existimantes hos iuvenes brevi ad arma vocatum iri, eos domum miserunt, sed post aliquod tempus Luxemburgum revocarunt, ubi etiam Theodorus noster professione religiosa 10 VIII 1915 se Deo et Congregationi consecravit, saltem, iuxta leges canonicas, « usque ad servitium militare »¹.

Hoc servitium, periculis et rebus adversis saturum, absque mora etiam Theodoro impositum est, qui tamen inter arma semper sese genuinum Instituti filium ostendit et finito bello exultans in studentatum Geistingen reversus est, studia ad sacerdotium necessaria absoluturus. Superaverat trigesimum vitae annum, cum tandem 8 III 1923 prima vice potuit introire ad altare Dei et incruentum Novae Legis sacrificium Deo Optimo Maximo offerre.

Cum suo commilitone P. Bernardo Severin Vice-Provinciae fluminis La Plata destinatus, per aliquot menses Asturicae in Hispania idiomatico Castiliae addiscendo incubuit, et 7 XII 1925 in novam patriam novumque apostolatus campum advenit.

Deinceps per septennium peragravit fidelis praeco verbi Dei vastas illas regiones Argentinae et Uruguay, et cum Superiores maiores in eo

¹ Cfr. vitam connovitii Francisci Krausen in nostro opusculo *Früh vollendet* (Dülmen i. W. 1921), p. 159 ss.

etiam boni regentis dotes deprehendissent, per vices ei regimen domorum Goya, Montevideo, Villa Allende, Buenos Aires I commiserunt, immo ad tempus totius Provinciae, loco Superioris Provincialis absentis. In ultimo Catalogo P. Theodorus Brinkmann apparet eiusdem Provincialis Consul-tor-Admonitor et Minister communitatis ad B. M. V. de Victoria ac praeses associationis caesidicorum catholicorum, a Servo Dei Antonio Solari conditae.

Erat in hac aede sacra adeo frequentata confessarius a multis quaesitus, praesertim post obitum Patris Otón Robrecht. Identidem tamen etiam foras exhibat ad missiones aut exercitia tradenda. In eo non eminebat quidem dictionis hispanicae elegantia, sed potius doctrinae soliditas animique inexhausta bonitas.

P. Theodoro semper sacrum erat illud: *Age, quod agis*, et singularem curam tribuebat etiam omni rei minusculae, consumens hoc modo vitam viresque in aureo thuribulo caritatis praemature, nostro quidem humano iudicio.

Iam erat ictu quodam apoplectico aliisque malis correptus, cum anno superiore per breves hebdomades in dulcem patriam, quam 24 annis non viderat et ubi interim tam profundae mutationes locum habuerant, reversus est. Bene scribit R. P. Alfridus Sánchez Gamarra de hoc itinere: « Erat simul Rosarium gaudiosum et dolorosa Via Crucis »¹.

Post septem menses P. Theodorus fecit aliud iter ad illas plagas, unde nemo revertitur, sed antea dedit tam eximiae virtutis exempla plurima, ut eum heroëm appellare possimus. Amabilis illa simplicitas cordis ac sinceritas, qua semper eminuerat, tunc singulariter in eo splendebat, v. g. cum confessus est: « Nolite putare acceptationem mortis mihi non constitisse. Multum mihi constitit, immo lacrimavi; at post amaras lacrimas Dominus mihi dedit magnam cum sua voluntate unionem, immo laetitia. Valde contentus sum, quod Deus me avocet. Aliud non volo, nisi ut Dei voluntas in me compleatur. Renuntiare omnibus rebus huius mundi nihili facio ».

Et quam eloquenter nobis praedicat observantiam regularem infirmus morti proximus, qui sedens in margine lecti Rosarium cum Fratre nosocomo recitat, ne somno opprimatur! vel qui coram Superiore praesente sese accusat, quod instrumentum iniunctionum ruperit, et licentiam petit emendi novum! Multo minus omittebat vespere Superioris benedictionem petere.

Festo Paschatis, cum P. Provincialis hac occasione ei Crucifixum osculandum dedisset, duplex osculum tenerrimum impressit, et Crucifixo et manui Superioris, dicens: « Unum osculum Iesu Christo et alterum auctoritati! ».

¹ *El Perpetuo Socorro en los Paises del Plata*, Maio 1950, p. 92.

Postquam P. Provincialis et P. Rector abierunt, moribundus continuat coram Fratre Aemilio exhalare intimos animi sensus, se felicem esse, immo felicissimum, quod in Congregatione mori possit, et tandem dicit: « Vade cubitum. Cum necesse fuerit, te expergeficiam ». Frater obedit et expergefit h. 24,45 temporis legalis, ergo revera h. 23,45. Curret ad infirmum; videt eum morti proximum et Superiorem Provinciale vocat. Cum hic in cubiculum intrat, bonus P. Theodorus sine ullo doloris signo hunc locum exilii relinquit. In aspectu talis obitus quis nostrum non repetat verba Balaam tunc ex Deo vaticinantis: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia!* (Num. 23, 10).
